



COLLOQVIVM QVINTVM

Persōnae: Iūlius, Dāvus, Mēdus

In oppidō Tūsculō magnum forum est. In forō est templum antīquum. Iūlius in forō est cum quattuor servīs, neque Mēdus in iīs est.

Ubi est Mēdus? Mēdus quoque in oppidō Tūsculō est, neque is in forō est cum dominō, sed sine dominō in templō. Mēdus sōlus est in magnō templō vacuō. Quid agit servus Iūlii in templō? Nummōs numerat.

nōnāgintā = XC (90)

Mēdus: "Quot nummī sunt in sacculō meō? Ūnus, duo, trēs, quattuor, quīnque, sex, septem, octō, novem, decem..... nōnāgintā. Ecce nōnāgintā nummī: magna pecūnia mea est!"

"...mea est!" respondet templum vacuum.

Mēdus: "Quid? Num dominus adest?"

"...adest" respondet templum vacuum.

Sed sōlus est servus in templō. Nūllus dominus verba eius audit.

Tūsculānus -a -um
< Tūsculum

Nōn in templō, sed in forō est Iūlius. Quid agit Iūlius in forō Tūsculānō? Dominus servum suum quaerit.

Iūlius imperat: "Quaere Mēdum, Dāve!"

Dāvus: "Ubi?"

Iūlius: "Quaere eum in templō!"

Dāvus ab Iūliō discēdit.

Iam Dāvus in templō est et Mēdum quaerit.

Dāvus Mēdum in templō videt.

Dāvus: “Ō Mēde...!”

Mēdus: “St, tacē, Dāve! Tacē et discēde!”

Dāvus: “Dominus in oppidō est et tē quaerit.

Irātus est dominus.”

Mēdus: “Mēne quaerit dominus? Cūr mē quaerit?”

Dāvus: “Quia nummī eius in sacculō tuō sunt!

Dominus nummōs suōs quaerit.”

Mēdus: “Iūlius meus dominus iam nōn est. Neque nummī eius in sacculō meō sunt.”

Dāvus: “Ō improbe serve!”

Mēdus: “Age, discēde, Dāve — et tacē! Improbus est servus qui servum accūsāt.”

Dāvus tacet, neque ab eō discēdit.

Mēdus ex sacculō suō sūmit duōs nummōs.

Mēdus: “Ecce nummī tuī, probe serve!”

Dāvus: “Nōn meī sunt nummī, neque tuī, sed Iūliī sunt.”

Dāvus nummōs nōn sūmit, et sōlus discēdit ex templō.



In forō Iūlius Dāvum interrogat: “Estne Mēdus in templō?”

Dāvus tacet.

Iūlius: “Respondē, Dāve! In templōne est servus meus?”

templō-ne...?

Dāvus respondet: “In templō est... servus tuus nūllus. (Mēdus servus tuus iam nōn est!)”

Iūlius, quī prīma tantum verba Dāvī audit, ex oppidō discēdit sine Mēdō.

Mēdus sine dominō ex oppidō discēdit.

COLLOQVIVM SEXTVM

Persōnae: Mēdus, Iūlius, Dāvus, Syrus, Lēander, Ursus



Via Latīna est longa, sed Mēdus, quī viā Latīnā Tūsculō Rōmam ambulat, fessus nōn est, nam is ambulat ad Lȳdiam amīcam, quae Rōmae habitat. Lȳdia Mēdum amat et ab eō amātur.

Mēdus cantat: "Nōn via longa est Rōmam..."

Mēdus autem sōlus ambulat; itaque id quod cantat ā nullō audītur.



Via quae est inter Tūsculum et villam Iūlii nōn tam longa est quam via Latīna, sed servī quattuor quī Tūsculō ad villam ambulant fessī sunt, quia lectīcam et saccōs portant. Duo servī, Dāvus et Ursus, lectīcam cum dominō portant. Saccōs portant Syrus et Lēander.

Iūlius, quī lectīcā vehitur, servōs videt fessōs et imperat: "Pōnite lectīcam in viā, servī!"

Servī fessī lectīcam in viā pōnunt neque iam ambulant. Syrus et Lēander saccōs pōnunt.

Dāvus: "Phū! Via longa est ab oppidō ad villam!"

Syrus: "Nōn longa est via, sed saccī magnī sunt."

Lēander: "Tuus saccus est parvus. Ecce saccus meus magnus!"

Dāvus autem lectīcam cum dominō portat, nōn saccum."

Syrus: "Dāvus nōn sōlus, sed cum Ursō lectīcam portat."

COLLOQUIA PERSONARVM

Ursus: “Neque vacua est lectīca! Dominus nōn tam parvus est quam saccus tuus, Syre.”

Iūlius, quī Dāvum fessum videt, imperat: “Iam saccum Syrī portā, Dāve! Urse, sūme saccum Lēandrī! Agite, Syre et Lēander, lectīcam portāte!”

Servī pārent: Dāvus et Ursus saccōs sūmunt, lectīcam sūmunt Syrus et Lēander.

Iūlius imperat: “Ambulāte, servī!”

Iam rūsus ambulant servī. Syrus et Lēander lectīcam cum dominō portant, et saccī portantur ab Ursō et Dāvō: Ursus saccum magnum portat, saccus parvus ā Dāvō portātur.

Iam Dāvus nōn tam fessus est quam Syrus.

Syrus: “Phū! Via longa est ab oppidō ad villam!”

Dāvus rīdet.

Ursus (ad Dāvum): “Cūr nōn ambulat dominus post lectīcam?”

Dāvus: “Dominus fessus vehitur, nōn ambulat, quia nōn est servus.”

Ursus: “Et servī fessī ambulant, nōn vehuntur, quia dominī nōn sunt.”

Lēander: “Num fessus est dominus, quī lectīcā vehitur?”

Dāvus: “Tacē, Lēander! Dominus tē audit.”

Iūlius stertit: “Ssst–rrrch, ssst–rrrch...!”

Lēander: “Ecce dominus iam dormit, quia longā viā fessus est! Is mē nōn audit.”

Verba servōrum ā Iūliō nōn audiuntur, nam dominus fessus iam dormit in lectīcā! Dominus quī dormit ā servīs nōn timētur.